Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hunc descensum. idest ad finem uite cum electus quisque uenerit. cum carnis debitum exsoluerit. et mortalis uite miserias transierit. tunc uere celi aperientur ei. et in columbe specie uidet uenientem super se spiritum dei. quia tunc perpetua et inestimabili mire dulcedinis et mansuetudinis gratia perfusus et repletus. ad instar columbe. in perpetuum erit sine felle. sine omni amaritudine. Multi etenim sancti et iusti in hac uita. multimoda et diuersa sepius accipiunt sancti spiritus carismata. iuxta quod apostolus Paulus ait. alii quidem per spiritum datur sermo scientie. alii autem sermo sapientie secundum eundem spiritum. sed tamen in columbe specie plenarie non possunt habere spiritum sanctum. Quantumcumque enim igne diuini amoris incensi. fortiter interius ardeant. quamuis preclaris uirtutum meritis ornati. exterius resplendeant. quamuis in benedictionibus dulcedinis adeo copiose preueniantur. tamen quamdiu portant corpus corruptibile quod aggrauat animam. sepius amaricari. et uiciis ac peccatis in semetipsis irasci compelluntur. Non nulli etiam sanctorum zelum habentes iusticie. impios quosque et rebelles grauiter insequendo plerumque uindictam inferunt. sicut de electis et preelectis domini prophetis Moyse scilicet et helia legitur. qui zelo rectitudinis inflammati et armati. maximam in diebus suis iniquorum hominum multitudinem occidendo prostrauerunt. At electorum anime. deposito carnis onere. ex angustiis laboriosi huius certaminis liberate. cum celis aptis in illam iocundissimam eterne pacis uisionem fuerint translate. tunc demum in columbe specie spiritum sanctum plenarie accipiunt. quia mundarum diuine dulcedinis rore perfuse. perpetue simplicitatis et mansuetudinis gratia dotate. numquam amplius aliquo felle amaritudinis uel cont